B. N. C
FIRENZE
1006
25

1006. 25

DISPVTATIO POLITICA AD C. CORN. TACITI

Annal. lib. I.

DE TIBERII DISSIMVLATIONE

AD

PERILLVSTREM AC NOBILISSIMVM D.D. ROMANVM GARZONIVM. PATRONVM OPTIMVM.

Andrea Collodio Doctore Philoſopho Auctore.

1006
25



1006
25
1872

LVCÆ,
Apud Octauianum Guidobonium, Et Balthaſarem de Iudicib.
MDCXVI.
DE LICENTIA SVPERIORVM.

PERILLVSTRI AC NOBILISSIMO D. ROMANO GARZONIO.

ANDREAS COLLODIVS F.

DIſſerebas ingenioſe paucis ab hinc diebus abijciendi imperij diſſimulationem in Tiberio ſuperuacuam & ridiculam fuiſſe. Tunc ipſe quæ occurrebant in medium attuli, non vt contradicerem tibi, quem humaniſſimum patronum peramanter obſeruo; ſed ingenio potius vt excitatus tuo tantum virum, ſi fas eſſet, ab imprudentiæ nota ludibrioq; ſubtraherem. Poſt eadem illa potius deſcripta quam ſcripta efflagitaſti. Quidni aſſentirer, cum tibi veluti auctori non iſta modo, ſed cuncta debeantur, & mihi nihil antiquius, quam me totum ad tui nutum

conformare, cui vel ſi velim diſſentire non poſſim? Tentaui multis alijs inſigniotibus, quæ paſſim in Corn. Tacito admirere, politica Ariſtotelis præcepta componere, vt quod ille tanquam in idea cognoſcendum propoſuit, in hoc videamus ad imitationem & vſum factitatum. Hic idem mihi ſeruandum cenſui, non quidem vt aperirem aditum tibi notiſſimum ad difficultatem explicandam; ſed inſtitutum meum retinerem. Habes igitur feſtinatam diſputatiunculam, ex qua ſi non diligentiæ laudem, quod vt tuæ me voluntati præberem vix optandum; at certe gratiam obſeruantiæ & celeritatis expecto. Vale.

VER-

VERSAE INDE AD TIBERIVM PRECES. ET ILLE VARIE DISSEREBAT.

Corn. Tac. lib. 1. Ann.

TIBERIVM DISSIMVLATIONE PRVDENTER VSVM.

DISPVTATIO XXII.

QVAM vere ſapientiſſimus morum inſtitutor Ariſtoteles docuit, orationes de ijs, quæ in affectibus actionibuſq; conſiſtunt, omnibus licet ornamentis inſtructas minorem longe probabilitatem habere quam opera; cunctamq; ferme fidem ipſi Eloquentiæ, cuius maxime fides eſt propria, per actus in affectionum, atque virtutum teſtimonio derogari: Nam ſi verba diſcrepent ab ijs, quæ ſenſu percipiuntur, non ſolum neglecta vaneſcunt, ſed ipſam quoq; tollunt veritatem. Prædica-

bat Eudoxus multa perhonorifice de voluptatis præ-
ſtantia, vt quam omnes appeterent, ad illamq; tan-
quam ad commune bonum ferrentur impetu quodam
naturæ; veruntamen de orationis ſuæ auctoritate ac
fide plurimum temperantiſſimus ipſe detrahebat: vt
4. ann. 154. *iam mirandum non ſit quod de Tiberio Tacitus refert,*
Ad vana ſcilicet, & toties irriſa deuolutum de red-
denda Rep. vero quoq; & honeſto fidem dempſiſſe.
Quare quod in præſentia precibus Patrum opponat
imperij magnitudinem, ſecretamq. cupiditatem mo-
lis grauitate prætexat; fortunæ varios & incertos
caſus extollat; regendi cuncta onus & magnum ia-
ctitet, & non omnium viribus ferendum; ſi quis at-
tentius paulo conſideret, non ſupernacuos modo, ſed lu-
dicros quoq; ſermones, & meras nugas eſſe perſpiciet.
Primo enim quem vſum habet, vt qui non dubijs
potentiæ ſignis ſe in ciuitate dominari declarauit, is
eiuſdem dominationem nolle contendat? Quam inop-
portuna atq; immodeſta modeſtia, qua mites alio-
rum ſenſus laceſſens ſummum Romæ imperium re-
cuſat is, qui iam illud ipſum iure tribunitiæ pote-
Tac. 1. ann. 3. *ſtatis occupauit?* Conſors Tribunitiæ poteſtatis ad-
ſumitur; *de qua idem Tacitus,* Id ſummi faſtigij
3 ann. 135. vocabulum Auguſtus repperit, ne regis aut dicta-
toris nomen adſumeret. *Quæ poſtmodum cõmuni ac*
1. ann. 6. *publico iure iurando confirmata,* Sext. Pompeius, &
Sext. Apuleius Coſſ. primi in verba Tiberij Cæſ.
iurauere: mox Senatus, mileſq; & Populus; *quomodo*
poterat ita cuiuſdam ſimplicis, ſinceriq; animi velis
inuolui, aut tam denſis ſimulationum inuolucris ob-

tendi,

tendi, vt ne cunctis ex partibus mens ficta maxime
eluceret? Deinde ſiquis Imperatoriæ iura poteſta-
tis exerceat, ſumat Principatus inſignia, milite ſti-
patus incedat, diſponat excubias, cæteriſq; aulæ or-
namentis atq; præſidijs communitus à dominatu ſe
prædicet alienum; quos credimus riſus excitabit?
Ea eſt verbo tenus illuſtris, factis autem ſimulata,
irritaq; modeſtia Tiberij. Fatetur libere, & profite-
tur ſe non aptum Imperio; vix tamen Auguſto ſu-
premum diem ſoluente ſoluit & ipſe fræna cupidi-
tati regnandi. Signum prætorijs cohortibus vt Im- 1. ann. 6.
perator dederat; Excubiæ, arma, cætera aulæ. Mi-
les in forum, miles in curiam comitabatur. *Quod*
ſi vniuerſæ ciuitatis vires, quas habebat in ſua po-
teſtate, cum poſſet cuncta quæ vellet, amittendi re-
gni pericula omnia longe dimouerant; ad quid ſum-
mam rerum ſpecie moderationis aſpernari? Poſtre-
mo inſulſa ſine dubio quiſq; illa putabit artificia,
quæ quo magis diſſimulatione teguntur, eo clarius ap-
parent: prorſus vt merito pueri irridentur, qui fa-
cie manibus obducta, cæteros nihil cernere arbitran-
tur, quod ipſi nulla conſpiciunt. Norant Patres aſtu-
ta conſilia; norant anceps & obſcurum ingenium;
atq; ijs, quamlibet occultaretur, (quippe homines
pleriq; ſuſpicioſi male ſumus, vt ait vatum Vates),
aperta nihilominus erat, & perſpecta calliditas. At 1. ann. 10.
Patres quibus vnus metus ſi intelligere viderentur.
Quamobrem probabilius eſt eos ad odium & inuidiam
concitandos, vt qui contemni ſe, atq; irrideri co-
gnoſcerent; quam credibile his artibus aut Tiberio

conciliandos; aut in eam cogitationem deducendos, vt ipſi quoq; Remp. ſi non plena & integra, communi certe poteſtate tractarent. Atq; ideo non ridicula tantum Tiberij ſimulatio, verum & pernicioſa eſſe conuincitur.

CENSEO *tamen illam non tantum ex Prudentiæ præſcripto, ſed neceſſariam Tiberio, & vtiliſsimã fuiſſe. Nam vt omittam eius ingenium ad ſimulationem factum, quo pridem ductus ad diſsimulandum, mox arcanos ſenſus ambiguis verborum integumentis obducere, reconditaſq; & penitus abſtruſas animi notas obſcuro quodam orationis implicatæ pigmento fucatas expone-*
1. ann. 10. *re aſſueuerat*, Tiberio ſeu natura ſiue adſuetudine ſuſpenſa ſemper & oſcura verba; *cuius tamen propenſionis tanta vis eſt, vt ei vel nullo modo, vel difficillime poſsit obſiſti:*

Obuerſabatur illi ante oculos exemplum Auguſti, cuius imitationem ſibi nõ ſecus ac legem impoſuerat, vt
4. ann. 171. *de ſe ipſe fatetur.* Qui omnia facta dictaq; eius vice legis obſeruẽ: *Quem prius iiſdem veſtigijs ingreſſum, eandem ad imperium viam tenuiſſe cognouerat, cum tamen illi nulla fere ſimulandi eſſet occaſio. Quippe nobilibus gratus; acceptus populo, quod eos opibus & honoribus extulerat, hunc donis & annona pellexerat; ciuilibuſq; armis oppreſsis cunctos otij dulcedine, & tranquillæ pacis voluptate permulſerat; atq; hinc pluribus munitus præſidijs, ſpectata in multos clementia, nobilium gratia, plebis fauore, innumeris ſociorum auxilijs, fidis prouinciarum ſtudijs, magna rerum omnium affluentia magis etiam firmatus videbatur in regno; quod ipſe quondã ad Romanos ait.* Proinde poſſe

me per-

me perpetuũ in vos obtinere imperiũ ipſi cernitis: *deniq; deletis omnibus, qui potuiſſent illũ publicis aut priuatis armis oppugnare*. Nulla iam publica arma, Domi res tranquillę; *Tamen illud ipſum, quod optime ſtabilitum firmiſſime tenebat imperiũ recuſauit. Quid igitur Tiberius agat, vetere atq; inſita Claudiæ familiæ ſuperbia ſuſpectus omnibus: Patricijs inuiſus, quod educto in domo regnatrice congeſtos iuueni conſulatus, atq; triumphos meminiſſent: infenſus plebi, quod multa indicia ſæuitiæ quamquam premerentur erumperẽt; & ijs annis, quibus Rhodi ſpecie ſeceſſus exul egerat, nil aliud quam iram, ſimulationem, & ſecretas libidines meditatum ſciret? Qua fronte ſe dicat ad imperiũ vocari, ſi eum in ſupremas Auguſti tabulas Liuiæ matris occultæ licet artes irrepſiſſe teſtantur, & in apertam lucem eductæ ſummam apud omnes inuidiam parant, quod pro comperto habeant, ſi rerum ille potiatur, ab omnium gentium domina per indignitatem non ferendam* ſeruiendum fœminæ? *Qu animo ſumat imperium in illos, quorum voluntates à ſe alienatas & ſperat & ſpectat? Magni quidem negotij homines à prima, eaq; inueterata opinione deducere; nam vbi ſpecies illa quaſi veritatis inſedit animis, ita rei euidentis perſpicuitate capiuntur, vt tardos alioquin aſſenſus ſuſtinere vix valeant, imo fidem firmiſſime tribuant. Verũ ſingulari aliquo facinore tandem euelluntur opiniones, cogitationes corriguntur, flectuntur hominum mentes. Deponat imperium Tiberius, aut conſortes admittat, de illius ſuperbia deponetur opinio. Depoſuit, admiſit; vicit omnium iudicia, conſilia mutauit, inuertit*

Dio lib. 53. 652. 1. ann. 2.

arbi.

arbitria, quod & humanam conditionem viſus eſt vincere;nam omnis poteſtas *ut inquit ille,*impatiens cōſortis erit. *Quodſi arduum, ac maioris virtutis quam*
3. Pol. xi. *ſecundum humanam naturam eſſe teſtatur Ariſtoteles, vt filio regnum non relinquat pater, cum ſit in ſua poteſtate; quanto diuinius cenſendum erit, ſi quis illo ſponte ſeipſum abdicet, retinere cum poſſit; Præſertim cum longe minus periculum modeſtia licet affectata, quam inſolens ſuperbia poſſit inferre: Siquidem vt illa voluntates ad beneuolentiam illicit, ita hæc ad odium inflammat, nobilium maxime, qui vt inſueti contumeliæ, contemptus ignari cunctos honores in vnũ plena quaſi manu coaceruatos non niſi ægris oculis, atque animo indignante poſſunt intueri. Neque vero diuinum hoc*
5. Pol. xi *præceptum Ariſtotelem fugit, ſed pro regum cuſtodia monumentis conſignatum Mecænas auide amplexus ſapienter Auguſto propoſuit, quo magiſtro Tiberius eas artes edidicit, quibus ſuſceptam dominationem ab omni periculo mira facilitate conſeruaret; nam imperiũ, vt vulgo compertum, facile ijs artibus retinetur, quibus initio partum eſt. In quo ſane tanto magis erat inſudandum Tiberio, quanto meliorem principem ſequebatur, vt non mediocris ſufficeret virtus ad eum populo commendandum, qui locum optimi Imperatoris occuparet, eiuſq; luctuoſam memoriam deberet eximio virtutum ſplendore, morumq; comitate lenire. Difficilem recentium regum conditionẽ in hoc genere nouit & Liuius heroicus Romanæ ſcriptor hiſtoriæ, poſteriſq; veluti teſtatam reliquit.* Vix quidem, *inquit,* vlli bono
lib. 24. 160. moderatoq; regi facilis erat fauor apud Syracuſanos,

nos, ſuccedenti tanta charitate Hieronis. *Quanto difficilior igitur apud Romanos, quorum propria libertas, quiue ad imperandum nati, poſtea ſi non totam libertatem, nec totam certe ſeruitutem poterant pati? Alterum quo Tiberius ad diſsimulationẽ impellebatur, affertur à Tacito:* Cauſa præcipua ex formidine, ne Germanicus habere imperium quam expectare mallet. *Quæ ſane quo periculorum feracior, eo magis prudentiæ nixa fundamentis, maiori quoq; premebat neceſſitate Tiberium, vt oblatum ſibi regnum vltro deponeret. Enim vero cũ in manu Germanici tot eſſent legiones, & tanta ſociorum auxilia, vt hoc vno ex Ariſtotelis ſententia regnũ vocaretur in dubium; addita præſertim bellicæ virtutis præſtantia, qua ad imperandum aptiſsimus electionem ſui videbatur expedire: Ad hæc cum mirus eſſet illius apud populum fauor, quippe ciuile eius ingenium ſpem fere exploratam cunctis iniecerat de ea recuperanda libertate, cuius ſe futurum aliquandò auctorem Druſus pater oſtenderat, ni fortuna virtuti defuiſſet; & proximum vero videretur tanti parentis filium ad eandem propenſiorem eſſe, cum quod ardentius cupimus, magis etiam ſperare cõſueuerimus,* Vnde in Germanicum fauor & ſpes eadem, *Adeo ad ſpes bonas peruicax eſt animus: hac autem probabili coniectura certo dignoſceret Tiberius quam lubrico ac periculoſo potiretur imperio; ſiquidem illi quicunq; libertatis eſt amans, cum nihil ſit minus populare quam regnum, ferales tendit inſidias: Quam facile de manibus ſceptrum eſſet excuſſum, ſi Senatus, cæteriq; proceres ſtudia contuliſſent in Germanicum, cuius animus eo acrio-*

1. ann. 7.

5. Pol. 1.

1. ann. 13.

eo acrioribus ſtimulis poterat ad imperiu m concitari, quo vehementius quiſq; natura duce ſolet ſibi per fraudem erepta repetere: Nam dubitauerat Auguſtus
4. ann. 184. Germanicum ſororis nepotem, & cunctis laudatum rei Romanæ imponere, ſed precibus vxoris euictus Tiberio Germanicũ, ſibi Tiberium aſciuit. *Rebus igitur in ancipiti conſtitutis coactus Tiberius quacunq; ratione patrũ voluntates & ſtudia captare, cum ex eorum propenſione totius rei ſumma penderet, optime abiecit imperium, vt quod ipſe obtinere flagrantiſſime cupiebat, illis non recepturis tacita conſenſione deferret: ſiue non eorum temporum modeſtia acrius eorundem animos aggreſſus preces vel ab inuitis eliceret. In quibus mirandum quam conſtans, quam immotus perſtiterit, quandiu permiſerit rogari, quam lente ceſſerit precibus, ſcilicet vt ad regnum coactus potius neceſſitate, quam cupiditate vel ſponte venire videretur. Hinc enim ſequebatur, vt libentius qui vim adhibuerant, precarium tolerarent imperium, & ſumma cum ſpe, maiori etiam animo de ſtudiorum viciſſitudine ſperarent, fretiq; hac gratiæ fiducia continuis imperantem proſequerentur officijs. Quæ quidem omnino ne fallerent, eos ſibi magis cogitauit obſtringere, comitijs ad patres e campo tranſlatis, vt Senatus ſeſe largitionibus ac precibus ſordidis exſolutum intelligens, fidamq; conceptæ ſpei veritatem agnoſcens flagrantiori in eum beneuolentia, fideli Principum vel ad perpetuitatem cuſtode, accenderetur. Ex voto:* Senatus libens tenuit. *Quod ſine dubio optare didicerat ex Ari-*
1. ann. 13. 5. Pol. x. *ſtotele, cum facillime poſſet aſperioris dominatus ſuſpi-*

cionem.

ctionem, ſiqua ſubeſſet, nobilium defenſione, ac patrocinio dimouere. Quoniam vero toga plerumque ſagis infirmior, & fruſtra Senatus, exercitu diſſentiente, conſentit; quo magis occurreret imminẽtibus ex Germanici fauore, potentiaq; periculis, oblatum diutius eſt aſpernatus imperium, vt dare famæ poſſet electũ ſe, vocatumq; à Repu., publicoq; multorum teſtimonio non credulorum tantum fidem aucupari, ſed militares etiam animos Principis mutatione cõmotos ita cõponere, vt illius imperiјs ſua ſe volũtate ſubijcerent, cuius ad arbitrium, nutumq; tot ſapientes & illuſtres viros accõmodatos eſſe perſpicerent. Præterea cum ſucceſſio generis tantum habeat rationem, electio vero virtutis; ſi hæc (cum Principi, præcipuoſq; magiſtratus gerentibus omnino ſit neceſſaria, quod ad obſeruantiam vim habet incredibilem) glorioſa cunctorum ordinum teſtificatione fuiſſet comprobata: Tiberium apud omnes longe digniorem imperio, obedientia, amore, & veneratione reddebat. Quibus quoniam præter cæteros armati repugnant, ideo litteras ad exercitus tanquam adepto principatu miſit. *Grande etenim momentum eſt in nomine vrbis, ac prætextu Senatus; Neque alia de cauſa longinquæ prouinciæ, & quidquid armorum mari dirimebatur, penes Othonem manebant*, Quam quod occupauerat animos prior auditus. *Quam latum Tiberij prudentia prębet diſputationi campum, in quo latius liceret excurrere; uerum occultæ humani pectoris anguſtiæ, quas ille penetrare contendit, orationem quoq; ſatis diffuſam iubent in anguſta compelli. Omiſſis igitur cæteris, illam vnam cauſam inductæ dubitationis adijciam*, ad introſpiciendas procerũ voluntates, *qui priuatis commodis ambigua pariter, & obſcura ſectantes obſcuriores prudentis principis*

1. ann. 6.

1. Hiſt. 478.

cipis

cipis artes incitabant, ut penitus inſpiceret quid illi de unius dominatione ſentirent. Innumera in hoc homine prudentiæ ſigna concurrunt, in quibus ne laus quidem exitum reperiret, niſi & ipſa pro infirma humanæ ſapientiæ conditione terminaretur ad errorem. Quotus enim quiſq; eſt, qui licet omnium uirtutum genere inſignis non erret interdum? Atqui ſi oculeus totus allucinatur quandoq; dormitans, quam rogo monoculi cæcutient? Ducem ſequantur iſti Cyclopem, donec nouus aliquis Vlyſſes telo lumen terebrarit acuto; noſter enim Princeps multo oculatior eſt factus. Attamen regnum euitans, nimis longe per errorem

L ann. 11. *receſſit ab illo, cum inquit,* Se vt non toti Reip. parem, ita quæcunq; pars ſibi mandaretur, eius tutelam ſuſcepturum; *Siquidem quod integrum legarat Auguſtus, & ipſe totum uolebat imperium, periculo diuiſionis expoſuit. Nullum autem hic arti locum eſſe cenſuerim, qua ſcilicet liberum alicuius ſenſum eliceret blandius: nam ſi præmeditatus dixiſſet, non adeo fuiſſet improuiſa Gallij interrogatione perculſus, cum ſoleat quod potuit præuideri minus lædere, & animus uel mediocri præditus prudentia facile non penitus inopinatis reſiſtere. Errauit igitur etiam in magna luce Tiberius: donec enim totum reiecit, nunquam ſinceræ ueritatis fidem eſt aſſecutus, apud eos præſertim, qui conſtanti frequentique ſilentio declarabant non ab ijs temporibus quærendum, ut educatus in domo regnatrice priuatus poſſet agere; ſiue qui tanto labore, tamq; occultis artibus ad regnum irrepſerat, mox uno quaſi impetu uellet ex illo delabi. Verum cum ſua ſponte, ſuoq; iudicio partiri cæpit imperium, ſocioſq; plures admiſit: cuncti modeſtiæ, & liberalitatis ſingulare factum fauorabili clamore*

more approbauerunt. Quemadmodum autem Caligulam multa de ſe largius ad commune bonum pollicentem ſtatim, ne mutaretur, Patres tenuere, Senatuſq; Conſulto factū eſt, vt huiuſmodi conditiones quotannis recitarentur; *Sic & ipſe poterat capi: quocirca Aſinius ad ipſam continuo partium diſtributionem deuenit, tacite quæ offerebantur acceptis. Quæ quidem certe ſpecioſa liberalitas Tiberium excludens a regno, Patres minus faciebat impudentes; cum nō tam inuerecundum ſit partem aliquam liberaliter oblatā accipere, quam totum ſimulate promiſſum amplecti. Quod deinde conſilij, hoc enim erat unicum temeritatis effugium, uidetur cepiſſe cum reſpondit Aſinio, quaſi nihil, aut omnia reiecturus,* Nequaquam decorū pudori ſuo legere, aut euitare aliquid ex eo, cui in vniuerſum excuſari mallet. *Quibus facile uerbis obuiam ibat diuiſionis imprudentiæ, & commode, cum nihil acciperent, Senatorum impudentiæ conſulebat. Quamobrē ſatis, ni fallor, apparet quæ eſſet in diſſimulatione ſumma cum utilitate neceſſitas. Quid mirū igitur, ſi imperij retinendi ſine propoſito, ſe dominum Tiberius declarauit? Neq; enim intelligendum eſt, ut diſſimulando regnum diſcrimini obijceret, aut in caſum daret; nam tunc reipſa depoſitum ciuiū animos liberaliori, melioriq; cōſilio deuinxiſſet: Sed ut leni quadam facilitate rerum potitus pacata lenitate dominaretur in eos, quos armis ad obſequium potuiſſet impellere. Quorum alterum ut conſequeretur, Tribunitium ius retinuit, quo licet ſupremi faſtigij poteſtatē quodammodo uelaret, ſpecie tamen antiquæ Reip. ſe uindicē libertatis oſtentabat. Hinc ille egregius adulator utrumq; cōplexus in Senatu cenſuit, nemini præter Imperatorem Tribunitiam poteſtatem conferendam. Vt autem in*

Dio lib. 831.

1. ann. 11.

hoc

hoc magiſtrum habuit Ariſtotelem, ita eorum altero ſe pe-
4. Pol. 5. riculis ac metu liberatum cuſtodia pariter muniuit, quod in
5. Pol. xi. primis præſtandũ ex eiuſdem præcepto nos alias diſſeruimus,
Diſp. 14. ut armato milite poſſet obedientiã uel ab inuitis extorquere.
Quamuis autẽ hoc priſtinam diſſimulationem non uideatur
admittere, Tiberius tamẽ innumeras prætexere poterat cau-
ſas, ut uidelicet quẽadmodum Auguſtus ſpecie charitatis in
patriã prouincias ſibi potentiores adſcripſerat; ita militare
præſidiũ ad nobilium tutelã, ſeditioſorum terrorem, & uni-
uerſę ciuitatis tranquillitatẽ ipſe transferret. Quę arte sli-
cet Senatoribus gnarę, ſummo tamen vſui: nam quo notior
ipſis principis potentia, magiſq; cõpertæ vires, eo magis con-
tra moderatione capiebantur, quod poteſtatẽ omnem ille, ex
cuius nutu fortunæ, liberi, uita cunctorum deniq; tanquam
e filo pẽdebant, eorũ uoluntati ſubijceret, quorũ erat ſponte
uel neceſſitate ſeruire; nihil & poſſe uellet qui cuncta pote-
rat, niſi hanc ipsã obtineret magna cum illorũ approbatione
potentiã, quibus pridem imperatoriæ ditioni ſubactis nullum
licebat recuſare ſeruitiũ. Vnde igitur odia funeſta porten-
debãtur, hinc incitamenta amoris, hinc uoluntatũ illecebrę,
quibus Senatores imperij participes effectos, & cohoneſtatos
auctoritate indicij ſibi Tiberius adiunxit. Non igitur ſuper-
uacua, non ridicula, non pernicioſa Tiberij ſimulatio, quam
& tempus ſæpiſſime uidetur, & ratio ſuadere aliquando.
Sola ſimplicitas ſenium ſapit, & inſulſam redolet antiqui-
tatem. Nouas uolebant ſæcula illa uirtutes, ut ſeueritas
cum comitate, cum lacrymis riſus, ſimplicitas cum diſſimu-
latione iungeretur; nam uel uirtus nimis aperta flectit ad
uitium, uel quia temporibus aliena, uix uirtus. Demum
ſeruire tempori ſumma prudentia.

SS 55476

MC